

absterreantur, ac in altero tandem seculo iummis praemiis coronentur; siue, vt AVGVSTINI verbis ex praefat. in Iobum vtar: *vt compellantur nolentes, erudiantur ignorantes, torpentes excitentur, superbientes humiliantur, victores coronentur.* Quadrat huc apprime, quod THOMAS Libr. III. cont. Gent. cap. VII. scribit: *Multa bona sunt in rebus, quae, nisi mala essent, locum non haberent, e. g. non esset patientia iustorum, si non esset malignitas persecquentium, non esset locus iustitiae vindicativae, si delicta non essent: In rebus naturalibus non esset unius generatio, nisi esset alterius corruptio: Si igitur malum totaliter ab uniuersitate rerum excluderetur, oportet bonorum multitudinem diminui.*

§. II.

Valeat igitur tritum illud VIRGILII Lib. XI. Aeneid. v. 361. *Nulla salus bello pacem te poscimus omnes;* ex haecenus dictis iudicare licet, quod bellum ipsa pace vtilius quandoque aestimandum sit. Confirmat hoc THEODORETVS (vir vt POSSEVINO audit in Apparatu Sacro, in omni literatura graeca eruditissimus, magnique sectator Chrysofomi) Histor. Eccles. Lib. V. cap. XXXVIII. p. 754. vbi, postquam de persecutione in Perfide excitata egisset, totam tandem narrationem his claudit verbis: *Καὶ αὐτὰ δὲ ἡμᾶς διδάσκει τὰ πράγματα, ὡς πλείονα ἡμῖν τῆς εἰρήνης ὁ πόλεμος πορίζει τὴν ὠφέλειαν. ἡ μὲν γὰρ ἀβρῆς ἡμᾶς, καὶ ἀνημέρῃς, καὶ δειλῆς ἀπεργάζεται. Ὁ δὲ πόλεμος τὰ τε φρονήματα παραθήγει, καὶ τῶν παρόντων ὡς χεόντων παρασκευάζει καὶ ἀφρονεῖν, Ἔ res ipsae nos docent, plus commodi bellum nobis afferre, quam pacem. Haec siquidem molles nos, immites ἔ timidus reddit: bellum vero animos acuit, ἔ praesentia, tanquam fluxa, spernere docet. Quare si pace tandem aeterna frui volumus, bellum gerendum, si bellum istud omitemus, pace nunquam fruemur. Pacis intentione in his terris militatur, pacem scimus fore belli optabilem finem. Vid. AVGVSTINVS Lib. XIX. de Ciuit. Dei, cap. XII. p. 1295. edit. Paris. 1636.*

§. III.